Annus XVIII - Vol. XVIII 1 Septembris 1926 Num. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii PP. XI: Litterae Apostolicae, p. 337. – Epistolae, p. 340.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis:* I. Augustan.-Monacen. et Frisingen. Decretum finium Dioecesium immutationis, p. 343. II. Ratisbonen.-Monacen et Frisingen. Decretum inium Dioecesium immutationis, p. 344. III. Provisio Ecclesiarum, p. 344. IV. Designatio, p. 345. V. Notificatio, p. 345. – *S. C. de Propaganda Fide:* Nominationes, p. 345. – *S. C. Rituum:* I. Abyssinen. seu Erytracen. Decretum super *tuto* Ven. Abba Ghebre Michaëlis, p. 346. II. Ondegaven. Decretum super martyrio Ven. Natalis Pinot, p. 348. – *S. C. Caeremonialis:* I. Protocollo per la presentazione delle Lettere Credenziali degli Ambasciatori, p. 350. II. Protocollo per la presentazione delle Lettere Credenziali dei Ministri Plenipotenziari, p. 357.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota:* Citationes edictales, p. 364.

Diarium Romanae Curiae: Udienza diplomatica. – S. C. dei Riti. – S. R. Rota. – Maggiordomato: Nomine. – Necrologio, pp. 366-368.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XXVI

Directio: Palazzo della Cancelleria — Roma.
Administratio: Tipografia Poliglotta Vaticana — Roma.

Pretium annuae subnotationis
Pro Italia, Lib. **20** — Extra Italiam, *L. it.* **35** —
Pretium unius fasciculi, Lib. **3** —

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione die 29 octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XVIII, n. 9 – 1 Septembris 1926)

ACTA PII PP. XI

LITTERAE APOSTOLICAE

PAG.

I. *Exstat in civitate.* – Titulo ac dignitate Basilicae minoris augetur Ecclesia, hactenus Pro-Cathedralis, S. Mariae in civitate Minneapoli, intra fines Archidioecesis S. Pauli de Minnesota. – *1 februarii 1926* . 337

II. *Venerabilis frater.* – Sanctuarium B. M. V. sub titulo « Auxilii Christianorum », pagi Philippsdorf, intra fines dioecesis Litomericensis, titulo et honoribus Basilicae minoris honestatur. – *21 februarii 1926* . . . 338

EPISTOLAE

I. *Nuper certiores.* – Ad R. P. D. Gabrielem Breynat, Episcopum tit. Adramyttensem Vicarium Apostolicum de Mackenzie, e Congregatione Oblatorum Mariae Immaculatae, XXV episcopatus annum expleturum. – *8 maii 1926* 340

II. *Non sine animi.* – Ad Emum P. D. Alexandrum, tit. SS. Andreae et Gregorii in Monte Caelio S. R. E. presb. Card. Lualdi Archiepiscopum Panormitanum quem Legatum mittit Catanae ad sacra solemnia, octavo exeunte saeculo a Corporis Sanctae Agathae elatione, celebranda. – *27 iulii 1926* 341

ACTA SS. CONGREGATIONUM

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. *Augustan.-Monacen. et Frisingen.* – Decretum finium dioecesium immutationis. – *7 iulii 1926* 343

II. *Ratisbonen.-Monacen. et Frisingen.* – Decretum finium dioecesium immutationis. – *13 iulii 1926* 344

III. Provisio Ecclesiarum 344

IV. Designatio 345

V. Notificatio 345

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

Nominationes 345

S. CONGREGATIO RITUUM

PAG.

I. *Abyssinen. seu Erytraeen.* – Decretum super *tuto* in causa beatificationis seu declarationis martyrii Ven. Servi Dei Abba Ghebre Michaëlis Sacerdotis et Congregationem Missionis a S. Vincentio a Paulo cooptati in odium fidei interempti. – *3 iunii 1926* 346

II. *Ondegaven.* – Decretum super martyrio in causa beatificationis seu declarationis martyrii Ven. Servi Dei Natalis Pinof parochi vici « Louroux-Réconnais ». – *3 iunii 1926* . . 348

S. CONGREGATIO CAEREMONIALIS

I. Protocollo per la solenne presentazione delle Lettere Credenziali degli Ambasciatori accreditati presso la Santa Sede. – *7 luglio 1925* . . . 350

II. Protocollo per la solenne persentazione delle Lettere Credenziali dei Ministri Plenipotenziari accreditati presso la Santa Sede. – *7 luglio 1925* 357

ACTA TRIBUNALIUM

S. ROMANA ROTA

Citationes edictales:

I. *Kielcen.* – Nullitatis matrimonii (Zareba - Woicekiewicz). – *11 augusti 1926* 364

II. *Sandomirien.* – Nullitatis matrimonii (Wilkowska - Wilczynski). – *16 augusti 1926* 365

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienza diplomatica 366

II. S. Congregazione dei Riti. – *Congregazioni Ordinaria e Antipreparatoria* 366

III. Sacra Romana Rota. – *Avviso* . . 367

IV. Maggiordomato. – *Nomine* 367

V. Necrologio 368

Annus XVIII - Vol. XVIII 1 Septembris 1926 Num. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

LITTERAE APOSTOLICAE

I

TITULO AC DIGNITATE BASILICAE MINORIS AUGETUR ECCLESIA, HACTENUS PRO-CATHEDRALIS, S. MARIAE IN CIVITATE MINNEAPOLI, INTRA FINES ARCHIDIOECESIS S. PAULI DE MINNESOTA.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Exstat in civitate Minneapolis, intra fines archidioecesis Sancti Pauli de Minnesota, insignis ecclesia ad Sanctae Mariae, structura atque artis operibus praenobilis, quam, una cum schola pro pueris ac puellis recte instituendis, ingenti pecuniae vi corrogata, memoria et omni laude dignissimus Ioannes Ireland, Archiepiscopus S. Pauli, aliquot ante annos desideratus, condendam curavit, et quae iure meritoque inter potiores archidioecesis illius enumeratur. Iamvero cum dilectus filius Iacobus M. Reandon, hodiernus eiusdem templi rector, humili prece Nos rogaverit ut sacram dictam Aedem, quae vulgo appellatur procathedralis, hoc dimisso titulo ad Basilicae minoris dignitatem provehere dignemur, Nos probe noscentes tam religione fidelium quam divini cultus splendore et sacrae supellectilis copia, ecclesiam enunciatam huiusmodi honore omnino dignam esse, optatis his annuendum ultro libenterque existimavimus, potissimum cum dicti rectoris vota cumulent atque ornent gravissima commendationis officia venerabilis fratris Augustini Dowling, S. Pauli de Minnesota Archiepiscopi, ac dilecti filii Nostri Donati S. R. E. Presbyteri Cardinalis Sbarretti. Omnibus itaque rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum venerabili fratre Nostro Antonio S. R. E. Cardinali Vico Episcopo Portuensi et S. Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, motu

proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, ecclesiam ad S. Mariae civitatis Minneapolis in archidioecesi S. Pauli de Minnesota, dimisso pro-cathedralis vulgari titulo, ad unicum titulum ac dignitatem Basilicae minoris evehimus, privilegiisque atque honorificentiis omnibus eidem tributis, quae minoribus Basilicis de iure competunt.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas validas atque efficaces semper exstare ac permanere suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari: sicque rite iudicandum ac definiendum esse: irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis auctoritate qualibet scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die I mensis februarii, anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quarto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

SANCTUARIUM B. M. V. SUB TITULO « AUXILII CHRISTIANORUM », PAGI PHILIPPSDORF, INTRA FINES DIOECESIS LITOMERICENSIS, TITULO ET HONORIBUS BASILICAE MINORIS HONESTATUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Venerabilis frater Pragensium Archiepiscopus, nec non venerabilis frater titulo Adrianopolitanus, apud Cecoslovachiae gubernium Nuntius Apostolicus Noster, amplissime commendant vota Moderatoris generalis Congregationis Sanctissimi Redemptoris, qui suffragante quoque Ordinario Litomericensi, Nos rogat ut titulo privilegiisque Basilicae minoris ecclesiam Philippsdorfensem, ad honorem Beatae Mariae Virginis sub titulo « Auxilii christianorum » Deo dicatam intra dioecesis Litomericensis fines, honestare dignemur. Ecclesia vero ipsa anno tantum MDCCCLXXXIV consecrata est, quum suum initium habuerit a quodam parvo Mariano sacello quod post annum MDCCCLXVI christifideles Beatae Deiparae « Salutis infirmorum » opem imploraturi celebrare consueverunt. Ab eodem autem anno ad Nostra usque tempora continenter peregrinorum turbae, tum e clero tum e popularibus, non modo e Bohemia atque ex Austria, sed e longe etiam dissitis aliis regionibus, ut prodigiosam

Imaginem Virginis Mariae Auxilii Christianorum inviserent, ad memoratum antea sacellum, ad ecclesiam dein religiosissime convenerunt; et liberaliter multi ex iisdem, grati quoque animi causa, stipem haud mediocrem ad novam sacram aedem, quae structura, amplitudine eximiisque artis operibus fulget, exstruendam contulerut. Huius Marialis sanctuarii curam patres Congregationis Sanctissimi Redemptoris nitide gerunt, qui apud ipsum conlegium etiam Ligorianum habent, et multis in modis christifidelium devotionem pietatemque erga Beatissimam Virginem Mariam christianorum Auxiliatricem augendam fovendamque summopere curant. Precibus igitur ac votis, quae sunt ad Nos mota, concedere ultro libenterque censuimus: quapropter conlatis consiliis cum VV. FF. NN. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Congregationi a Sacris Ritibus tuendis praepositis, apostolica Nostra auctoritate, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, ecclesiam sive sanctuarium Beatae Mariae Virginis titulo Auxilii Christianorum, in pago *Philippsdorf* nuncupato, Litomericensis dioecesis intra fines in Bohemia positum, ad titulum ac dignitatem Basilicae minoris evehimus, cum omnibus honorificentiis privilegiisque, quae hac de causa Basilicis huius Almae Urbis Nostrae minoribus competunt.

Porro haec largimur, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere: suosque plenos atque integros effectus sortiri vel obtinere, illisque ad quos pertinent, vel pertinere poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXI mensis februarii, an. MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD R. P. D. GABRIELEM BREYNAT, EPISCOPUM TITULAREM ADRAMYTTENSEM VICARIUM APOSTOLICUM DE MACKENZIE, E CONGREGATIONE OBLATORUM MARIAE IMMACULATAE, XXV EPISCOPATUS ANNUM EXPLETURUM.

PIUS PP. XI

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Nuper certiores facti sumus, futuro mense iulio, te quintum ac vicesimum episcopatus natalem esse – Deo auxiliante – feliciter expleturum. Cuius quidem rei nuncius eo iucundior Nobis accidit quo magis tuam in gerendo pastorali munere sollertiam, tuumque in christiano nomine propagando studium perspectum habemus. Quare iis gaudii laetitiaeque significationibus, quas tibi, venerabilis frater, apparant ii qui tuam virtutem magni faciunt, Nos quoque, hanc opportunam nacti occasionem singulare benevolentiae Nostrae addimus testimonium. Idque perlibenter: te enim novimus et operarium evangelicum industria ac labore omnino commendabilem, simulque Episcopum animarum salutis Deique gloriae cupidissimum. Enimvero statim ac vicariatus iste erectus fuit, tibi primum ob merita munus illius regendi ab Apostolica Sede commissum est; ipse autem nil intentatum reliquisti ut istam Dominicae vineae partem, tam dissitam, christianae doctrinae rore fecundissimam efficeres. Qui profecto labores abs te in rem tam nobilem tamque sanctam collati uberrimos sane fructus protulere; in praesens enim ex omnibus istius regionis incolis perpauci admodum sunt quibus, ob magnam locorum longinquitatem asperitatemque viarum, Crucis sapientia non fuerit allata. Spem tamen bonam habemus fore ut, divina favente gratia, quam primum Missionales tui, difficultatibus omne genus superatis, ea petant disiunctissima loca, in iisque fructuose desudent. Quam quidem communem spem ut Deus ad effectum perducat enixe rogamus. Laetare igitur, venerabilis frater, de fausti laetoque eventu qui approperat, dum Nos ut haec sollemnia uberiorem laetitiam tuis omnibus afferant, facultatem tibi facimus Papalem impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria, ab iis in forma Ecclesiae consueta lucranda, qui Sacris intererunt. Accipias nunc omina Nostra cum apostolica benedictione coniuncta, quam tibi, venerabilis frater, iisque omnibus qui tuae sunt curae concrediti, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VIII mensis maii, anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. XI

II

AD EM̃UM P. D. ALEXANDRUM, TIT. SS. ANDREAE ET GREGORII IN MONTE CAELIO S. R. E. PRESB. CARD. LUALDI ARCHIEPISCOPUM PANORMITANUM, QUEM LEGATUM MITTIT CATANAE AD SACRA SOLEMNIA, OCTAVO EXEUNTE SAECULO A CORPORIS SANCTAE AGATHAE ELATIONE, CELEBRANDA.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Non sine animi iucunditate nuper accepimus, in honorem Agathae sanctae – adulescentulae, inquimus, illius, quae Ecclesiam Christi, facto Catanae inlustri martyrio, praecipue nobilitavit – magnificentissima ibidem in diem proximi mensis septimum decimum apparari ordinarique sollemnia, quo die octavum complebitur saeculum postquam sacrum illius corpus, quod, summo cum Catanensium maerore, deductum alieno arbitrio Constantinopolim fuerat, optimi duo viri, cum hinc auspicato abstulissent, in veterem sedem restituerunt. Saecularem eiusmodi faustitatem probe intellegimus facere eos cives non posse quin singulari opperiantur celebrentque laetitia: Agatham enim Virginem et Martyrem tam amanter habent coluntque suam, ut videantur nihil quidquam ab eorum pietate maiorum degenerasse, qui abhinc octingentos annos, flagrantibus caritate desiderioque animis, sacris obviam Reliquiis – rei nuntio vixdum accepto – inter festos cantus processere omnes, dignique facti sunt, qui non unam, Patronae ope ilico impetratam, mirabilem corporum sanationem suis ipsi oculis cernerent. Quot autem quamque praeclara, Agatha deprecatrice, in cives Catanenses beneficia continenter fluxerint; quo ipsi pietatis studio praesentissimam sibi Patronam sint nullo non tempore prosecuti, num, ut hoc loco attingamus, id auctoritatem fidemque tabularum provocare oportet? Utrumque enim tam certum, tam pervagatum ac veluti ante oculos incolarum advenarumque positum, nulla ut sit unquam in dubitatione versatum. Alterum sane testantur, praeter liberatam haud semel vel ab eruptionibus Aetnaeorum ignium vel a piratarum incursionibus vel a pestiferis contagionibus urbem, impertita orantibus, ad sepulcrum praesertim, gratiarum sanationumque omne genus solacia; alterum vero comprobant cum exhibitus fortissimae Martyris Reliquiis monumentisque cultus, tum excitatae in eius honorem Aedes sacrae, eaedemque saeculorum decursu refectae, quotiescumque oportuit, vel affabre ornatae, tum etiam quae splendido apparatu et miro animorum ardore sollemnia haberi quotannis consueverunt. Quod, ceteroqui, hanc Agathae reverentiam habent cum Catanensibus communem insulani e Sicilia omnes,

vel qui insignibus sanctissimisque feminis in suo territorio aut natis aut depositis aut pro fide caesis gloriantur – ut, exempli causa, Panormitani tui, dilecte fili Noster, Rosalia, ut Lucia Syracusani –, fieri idcirco non potest, quin Sicularum dioecesium Episcopi, clerus ac populus Catanam, ad tantam, quae adesse properat, sacrorum celebritatem, frequentissimi coeant. Quae quidem sacrorum celebritas non erit profecto a spirituali animorum emolumento seiuncta, cum dilectus filius Noster Cardinalis Catanensium Archiepiscopus recte admodum sapienterque mandaverit, ut per eos dies, qui saecularem eventi commemorationem antecedunt, ne desint contiones ad populum et nulli ad exercitandam acuendamque communem pietatem igniculi ac stimuli desiderentur. Unde prospicimus futurum, ut non modo pueri ac puellae innumerabiles – novella ista christianae posteritatis germina – ad divinam mensam coniunctim omnes in patentissimoque loco, quemadmodum deliberatum est, angelorum haud dissimiles, accedant, verum etiam, excitato caritatis fervore atque aestu, incolae advenaeque, nullo ordinis, aetatis ac sexus discrimine, quamplurimi, auspice Agatha, et animos rite expient et vitae posthac sancte ducendae consilium fortiter ineant constanterque exsequantur. Itaque ut Nosmet rei faustitatem quasi praesentes augemus – qua quidem augendo et invictae Martyri habere honorem et Ecclesiae Catanensi gratificari volumus – te, dilecte fili Noster, Legatum Nostrum deligimus ac renuntiamus, qui sollemni eiusmodi commemorationi praesideas. Quandoquidem vero Nostram geres personam, Nostris pariter verbis Catanensem populum moneas, nihil fore caelesti Patronae gratius ipsisque salutarius, nullam Martyris illius colendae celebrandaeque aptiorem inire eos posse rationem, quam si, ad Agathae exemplum, vitae castimoniam praeferant et catholicam fidem arcte retinendo palam aperteque profiteantur. Caelestium interea donorum conciliatricem paternaeque caritatis Nostrae testem, tibi, dilecte fili Noster, dilecto item filio Nostro Cardinali Archiepiscopo Catanensi atque universo clero ac populo, quo ea urbs, fausta hac occasione, affluet, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXVII mensis iulii anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. XI

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

AUGUSTAN.-MONACEN. ET FRISINGEN.

FINIUM DIOECESIUM IMMUTATIONIS

DECRETUM

Exstat in dioecesi Augustana praediolum *Leiten* nuncupatum, cuius incolae a propria paroeciali ecclesia in *Pfaffenhofen* nimis absunt. Ad consulendum eorum fidelium commoditati, Ordinarius Monacensis et Frisingensis, assentiente Episcopo Augustano, supplicavit pro aggregatione illius praedii ad viciniorem paroeciam *Ilmmünster* in archidioecesi Monacensi et Frisingensi. SSmus Dñus Noster Pius PP. XI, rei utilitate considerata, precibus benigne annuit; ac proinde mandavit, ut hoc Consistoriali decreto memoratum praedium *Leiten* a paroecia *Pfaffenhofen*, dioecesis Augustanae, dismembretur atque paroeciae *Ilmmünster*, et quidem illius paroeciae expositurae *Niederthann*, in archidioecesi Monacensi et Frisingensi, perpetuo incorporetur.

Ad praemissa exsecutioni mandanda SSmus Dñus Noster deputare dignatus est R. P. D. Albertum Vassallo de Torregrossa, Archiepiscopum titul. Hemesen. ac Nuntium Apostolicum in Bavaria, eidem tribuens omnes facultates ad id necessarias et opportunas, cum onere transmittendi quamprimum ad Sacram Congregationem Consistorialem authenticum exemplar peractae exsecutionis.

Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. Consistorialis, die 7 iulii 1926.

✠ C. CARD. DE LAI, Episc. Sabinen. et Mandelen., *Secretarius.*

L. ✠ S.

Hamletus I. Cicognani, *Substitutus.*

II

RATISBONEN.-MONACEN. ET FRISINGEN.

FINIUM DIOECESIUM IMMUTATIONIS

DECRETUM

Rogante Ordinario Monacensi et Frisingensi, de consensu Episcopi Ratisbonensis, ut praedium *Kleinwolfersdorf*, ad paroeciam *Au* dioecesis Ratisbonensis pertinens, viciniori paroeciae *Reichertshausen*, in archidioecesi Monacensi et Frisingensi, aggregetur, Ssmus Dñus Noster Pius div. Prov. PP. XI, rei opportunitate attenta, benigne annuendum censuit. Quapropter vi praesentis Consistorialis decreti statuit, ut memoratum praedium *Kleinwolfersdorf*, cum suis incolis, a paroecia *Au* et dioecesi Ratisbonensi separetur atque paroeciae *Reichertshausen* et archidioecesi Monacensi et Frisingensi in perpetuum attribuatur, sicuti de facto separat ac attribuit.

Ad haec autem exsecutioni mandanda Sanctitas Sua deputare dignata est R. P. D. Albertum Vassallo de Torregrossa, Archiepiscopum tit. Hemesensem ac Nuntium Apostolicum in Bavaria, eidem tribuens necessarias et opportunas facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur aliam personam ecclesiasticam in dignitate constitutam: facto onere mittendi intra sex menses ad S. C. Consistorialem authenticum exemplar peractae exsecutionis.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. C. Consistorialis, die trigesima iulii a. millesimi nongentesimi vigesimi sexti.

Pro Emo Dño Card. Secretario
† Fr. Raphaël C., Archiep. Thessalonicen., *Adsessor.*

Vincentius Santoro, *Officialis.*

III

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus Dñus Noster Pius divina Providentia PP. XI, decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, has quae sequuntur Ecclesias de proprio singulas Pastore providit, nimirum:

30 iulii 1926. — Titulari episcopali Ecclesiae Theodosiopolitanae praefecit R. D. Iosephum Hou, e Congregatione Missionis, deputatum Vicarium Apostolicum de Tai-Kou.

2 augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Bidensi, R. D. Carolum Labbé, deputatum Vicarium Apostolicum de Tarapacà.

— Titulari episcopali Ecclesiae Lesbitanae, R. P. Simonem Tsu, e S. I., deputatum Vicarium Apostolicum de Haimen.

4 augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Thermensi, R. D. Edoardum Parente, Antistitem Urbanum, Canonicum Poenitentiarium metropolitanae Ecclesiae Capuanae, quem deputavit Auxiliarem R. P. D. Ianuarii Cosenza, Archiepiscopi Capuani.

10 augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Sebastopolitanae, R. D. Arcturum Hinsley, Antistitem Urbanum, Rectorem Ven. Collegii Anglici de Urbe.

IV

DESIGNATIO

Iuxta can. 1594 § 2 Cod. iur. can., Metropolita Kaunensis designavit pro appellatione in secunda instantia tribunal Ordinarii Vilkaviskensis.

Quam designationem Ssmus D. N. benigne approbavit per rescriptum S. C. Consistorialis, die 4 iunii 1926.

V

NOTIFICATIO

R. D. Antonius Bezerra de Menezes, electus Episcopus Barrensis, nominationi de se factae renuntiavit eiusque renuntiatio benigne acceptata est; die 13 augusti 1926.

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

NOMINATIONES

Brevibus Apostolicis nominati sunt:

10 maii 1926. — *Vicarius Apostolicus de Suanhwafu*, R. P. Philippus Tchao.

— *Vicarius Apostolicus de Fenyang*, R. P. Aloysius Tchen, ex Ordine Fratrum Minorum.

10 maii 1926: — *Vicarius Apostolicus de Funing*, R. P. Theodorus Labrador, ex Ordine Praedicatorum.

31 maii. — *Vicarius Apostolicus de Windhoëk in Africa Meridionali*, R. P. Ioseph Gotthardt, ex Instituto Oblatorum B. M. V. Immaculatae.

10 iulii. — *Vicarius Apostolicus de Beni*, R. P. Franciscus Luna, ex Ordine Fratrum Minorum.

14 iulii. — *Vicarius Apostolicus de Darien in America Centrali*, R. P. Ioannes Maiztegui Besoitaiturria, e Congregatione Missionariorum Filiorum Cordis Immaculati B. M. V.

10 augusti. — *Vicarius Apostolicus de Taichow in Sinis*, R. P. Ioseph Hou, Congregationis Missionis.

— *Vicarius Apostolicus de Tarapacà*, R. D. Carolus Labbè, canonicus Ecclesiae Cathedralis S. Iacobi de Chile.

11 augusti. — *Vicarius Apostolicus de Haimen in Sinis*, R. P. Simon Tsu, e Societate Iesu.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

ABYSSINEN. seu ERYTRAEEN.

BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MARTYRII VEN. SERVI DEI ABBA GHEBRE MICHAËLIS SACERDOTIS IN CONGREGATIONEM MISSIONIS A S. VINCENTIO A PAULO COOPTATI IN ODIUM FIDEI INTEREMPTI.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione martyrii et causae martyrii, nec non dispensatione a signis seu miraculis, ad tramitem canonis 2116 § 2 *Cod. iuris canonici,* tuto *procedi possit ad solemnem praefati Ven. Servi Dei Beatificationem?*

In longissimo quo functus est martyrio Ven. Dei famulus Michaël Ghebre, illud perspicue emicat, quod Cornelius a Lapide scitissime animadvertit, scribens: « *Vidimus vix martyres effici, nisi eos qui ante se affecerint martyrio, aut qui a Deo multis prius aerumnis sunt exerciti et quasi praeparati atque eruditi ad martyrium, illudque emeriti* » (In Epist. ad Hebraeos

XII, 11). Vix enim atque Michaël Ghebre schismaticam sectam, in qua ortus et altus fuerat in Abyssinia eiuravit, ut catholicae fidei veritatem, quam studio intento inquisiverat, amplecteretur, adhaesitque consiliis et hortamentis quae a Ven. Famulo Dei Iustino de Iacobis, missionario Apostolico in eadem regione, saepenumero accipiebat, minime dissimulare poterat suorum laborum exitum martyrio coronatum iri. Haud ipse ignorabat odium quo schismatici, praesertim monachi, catholicae religionis cultores et administros prosequebantur, et fieri nequibat ut cuncta vitae discrimina eius ante oculos non obversarentur. Nihilominus apostolica libertate fidei praecepta ac dogmata denuntiare, errores oppugnare et mores damnare suscepit impavido animo. Ne episcopi Salama doctrinis adhaereret, in carcere coniici est passus, atque inter vincula aerumnis ac inedia conflictatus est. Iterum ad fidem catholicam deserendam lacessitus, se potius paratum exhibuit ad acerbiora flagella perferenda, quam ad iniuriam vel minimam Deo irrogandam. Sancti huius propositi tenax immanes inter cruciatus religionis nostrae veritatem alacriter profitebatur, maioremque ipse in patiendo, quam satellites in percutiendo, fortitudinem ostendit. Verberibus et fame attritus ac fractus neci est damnatus; quumque ad supplicium rapiendus erat, hoc in custodiam perpetuam commutatum est. E carceribus deinceps eductus, catenis oneratus regias pedestres copias sequi coactus est. Itineris incommodis ac laboribus dysentericus morbus accessit, quo confectus fuit, vertente anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quinto.

Porro Ven. Servi Dei admirabilis constantia pluries omni poenarum genere tentata, eiusque praeclara virtus in obeundis officiis quae pro christianae fidei fulcimento iis in regionibus maxime profutura erant, certissima argumenta suppeditant, quibus eiusdem iugis praeparatio ad martyrium luculentissime probatur. De quo tribus in iudicialibus actum est disceptationibus, atque solemne editum decretum undecimo calendas iunias, hoc ipso anno; atque paullo post aliud accessit decretum, quo indultum est ut, inspecta martyrii evidentia, a probandis signis seu miraculis in specie causae Actores soluti essent, prout in iure sancitum est.

Verumtamen, actorum series, ne manca et incompleta foret, requirebat ut unum adhuc ad discutiendum proponeretur: utrum Beatorum caelitum honores, qui martyres decent, Ven. Dei Famulo Michaëli Ghebre tuto decerni possent. Hoc praestitit Reverendissimus Cardinalis Caietanus Bisleti, in universo sacrae Rituum Congregationis coetu, calendis iunii coacto coram Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI, proposito dubio: « *An, stante approbatione martyrii et causae martyrii, nec non dispensatione a signis seu miraculis, ad tramitem canonis* 2116, § 2 *Codicis iuris*

canonici tuto *procedi possit ad solemnem praedicti Ven. Servi Dei Beatificationem?*» Quotquot convenerant Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores affirmativam dederunt suffragationem; a mente tamen sua pandenda supersedit Sanctissimus Pater, ut precibus abundantiorem a Patre luminum securitatem impetraret.

Hodierna autem faustissima die, qua annua solemnia in honorem Ssmi Corporis Christi peraguntur, rei divinae religiosissime operatus, accersiri mandavit Reverendissimos Cardinales Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae Rituum Congregationi Praefectum, et Caietanum Bisleti, causae Ponentem, una cum R. P. Carolo Salotti, S. Fidei Promotore generali, meque infrascripto a secretis, iisque adstantibus, Pontificio solio assidens, solemni decreto sanxit: *Tuto procedi posse ad solemnem Ven. Michaëlis Abba Ghebre Beatificationem.*

Atque hoc decretum promulgari et in acta sacrae Rituum Congregationis referri, Litterasque Apostolicas in forma Brevis de solemni Beatificationis ritu in Patriarchali Basilica Vaticana quandocumque habendo expediri iussit, tertio nonas iunias, anno millesimo nongentesimo vicesimo sexto.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

II

ANDEGAVEN.

BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MARTYRII VEN. SERVI DEI NATALIS PINOT PAROCHI VICI « LOUROUX-BÉCONNAIS ».

Super dubio

An constet de martyrio et causa martyrii, nec non de signis seu miraculis, in casu et ad effectum, de quo agitur?

In teterrima illa insectationis procella, qua nulla exstiterat umquam in Gallia magis turbulenta, exitiosa et diuturna, quae, saeculo decimo octavo ad exitum flectente, desaeviit, nefaria multorum conspiratione fota in perniciem et excidium catholici nominis; qua sacerdotes e templis fugere coacti erant, si necem vitare poterant, coenobitae et Deo devotae virgines e claustris exturbatae vitam fuga quaerere adigebantur; inter innumeros

qui percussi sunt pastores ut dispergerentur oves gregis, maxime enituit Ven. Servus Dei Natalis Pinot, cui dulce fuit pro Christi fide sanguinem suum effundere. Curionis munere in oppido *Louroux-Béconnais* apostolico zelo fungebatur, dum ad sacrilegum iusiurandum nuncupandum, quod a civili cleri constitutione dicebatur, tentatus, id praestare impavide recusavit, quod a quovis catholico viro respuendum esse noverat. Poena remotionis ab animarum cura multatus, palam in sua ecclesia fidei professionem, cui imperatum iuramentum adversabatur, exposuit et christifideles graviter admonuit ne rebellium artibus irretiri paterentur. Ideo exilio est damnatus; ipse tamen ministerium suum non deseruit neque intermisit, felicique exitu adlaboravit, ut nonnulli sacerdotes, qui decepti fuerant, ad bonam frugem reverterentur. Exacto exilii tempore, sacra munia obire nedum in sua ecclesia iterum suscepit, sed et finitimos vicos et oppida suis pastoribus destituta clanculo adibat, fervidisque concionibus, sui ferme immemor, populum in fide confirmare satagebat. Haec agens inimicorum odium in se acerbius concitavit; quo factum est ut ad necem undique conquireretur. Comprehensus in tugurio, quo se receperat, dum sacris indutus vestibus rei divinae erat operaturus, Andegavum trahitur et per vias civitatis circumducitur, ut ita indutus ludibrio esset iniquis conspiratoribus. Mox tribunali seditioso sistitur, ubi rursum ad iuramentum praestandum tentatus strenue recusavit, declaravitque se velle Deo suam fidem servare. Tum decretum mortis est latum, atque confestim Dei Famulus ad supplicium est raptus, iisdem sacris indutus vestibus, quas assumpserat paulo antequam caperetur. In patibuli conspectu, signo crucis se munivit, prolatisque verbis: *Introibo ad altare Dei*, firmo gressu incedens suum caput carnifici obtulit, inimicis suis generose ignoscens. Obstupuere omnes! Neque ullo opus est commentario, ut quisque sentiat optimi pastoris laudem hunc Dei Famulum egregie esse meritum, quippe qui vitam suam pro ovibus sibi creditis tradidit.

De eiusdem martyrio et martyrii causa disceptatum de more est, primum in Congregatione Antepraeparatoria in aedibus Reverendissimi Cardinalis Vincentii Vannutelli, causae Relatoris, habita die 10 mensis novembris, superiore anno; deinde in Praeparatoria in Apostolico Palatio Vaticano coacta die quarta maii vertentis anni; ac novissime in universo sacrae Rituum Congregationis coetu coram Sanctissimo Dño nostro Pio Papa XI die prima huius mensis congregato, in quo memoratus causae Relator hoc dubium ad discutiendum proposuit: « *An constet de martyrio et causa martyrii, nec non de signis seu miraculis, in casu et ad effectum, de quo agitur?* ». Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores sententias suas ex ordine et expedite protulerunt, quas Beatissimus Pater adeo studiose est prose-

cutus, ut, martyrii claritate nitide percepta, petitam dispensationem a signis seu miraculis benigne indulgere dignatus est. Precibus tamen perstare voluit, antequam suam decretoriam sententiam ederet.

Hodiernam autem festivam diem, qua solemnia aguntur in honorem Corporis Domini in Eucharistiae Sacramento delitescentis, ad iudicium suum pronunciandum constituit. Quare, sacro ferventer perlitato, accersiri mandavit Reverendissimos Cardinales Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae Rituum Congregationi Praefectum, et Vincentium Vannutelli, Episcopum Ostiensem et Praenestinum, sacri Collegii Decanum et causae Relatorem, una cum R. P. Carolo Salotti, S. Fidei Promotore generali, meque infrascripto a secretis, iisque adstantibus solemniter pronunciavit: « *Ita constare de martyrio et causa martyrii Ven. Servi Dei Natalis Pinot, ut ad ulteriora procedi possit* ».

Hoc decretum publici iuris fieri, et in acta sacrae Rituum Congregationis referri iussit, tertio nonas iunias, anno millesimo nongentesimo vicesimo sexto.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO CAEREMONIALIS

APPROBATUR RATIO ADMISSIONIS LEGATORUM APUD APOSTOLICAM SEDEM IN SACRAM AUDIENTIAM AD EXHIBENDAS LITTERAS PRO SUI MUNERIS RECOGNITIONE.

I

PROTOCOLLO

PER LA SOLENNE PRESENTAZIONE DELLE LETTERE CREDENZIALI DEGLI AMBASCIATORI ACCREDITATI PRESSO LA SANTA SEDE.

Art. 1. – Monsignor Maestro di Camera di Sua Santità, presi gli opportuni accordi con la Segreteria di Stato circa il giorno e l'ora della solenne presentazione delle Lettere Credenziali del nuovo Ambasciatore – in conformità delle disposizioni impartite dal Santo Padre – intima il doppio servizio di Anticamera.

La cerimonia si svolge secondo le norme seguenti:

Art. 2. – Sotto la pensilina, presso il cortile di S. Damaso, il Signor Ambasciatore è ricevuto da un Cameriere Segreto Soprannumerario di Spada e Cappa, che lo accompagna durante il percorso, ponendosi alla sua sinistra: quattro Sediari Pontifici agli ordini del Sotto-Decano di Sala od in assenza di questi del Sediaro Anziano, che per la circostanza indosserà pantaloni corti e frack, attendono l'arrivo del Signor Ambasciatore. I medesimi disposti per due e seguiti dal Sotto-Decano o dal Sediaro Anziano nel salire la Scala Papale, precedono fino alla loro Sala il Signor Ambasciatore, il quale ha con Sè il Personale dell'Ambasciata. Il Signor Ambasciatore ed il Personale dell'Ambasciata indossano l'Uniforme Diplomatica con decorazioni.

Art. 3. – Alla Sala Clementina, il Signor Ambasciatore col Personale dell'Ambasciata viene incontrato da Monsignor Segretario della Sacra Congregazione Ceremoniale, il quale ponendosi alla sua sinistra lo accompagna attraverso l'Appartamento Papale fino alla Sala degli Arazzi per essere quindi introdotto alla presenza di Sua Santità.

Avvenuto l'incontro del Signor Ambasciatore con Monsignor Segretario della Sacra Congregazione Ceremoniale, il Cameriere Segreto di Spada e Cappa Soprannumerario, del quale si parla all'art. 2, si pone a sinistra del primo Dignitario del Seguito dell'Ambasciatore, rimanendovi durante lo svolgimento della cerimonia.

Art. 4. – Alla Sala del Trono sei Guardie Nobili, agli ordini del Cadetto, sono comandate di servizio ai lati del Trono Papale: le due fazioni prestano il consueto servizio ai loro posti.

Art. 5. – Il Santo Padre, preavvisato da Monsignor Maestro di Camera dell'arrivo del nuovo Ambasciatore, indossato il Rocchetto e la Mozzetta, si reca al Trono accompagnato dalla Sua Anticamera, la quale si dispone ai due lati del Trono, secondo l'ordine di precedenza e cioè:

A destra di Sua Santità:

Sua Eccellenza Revma Monsignor Maggiordomo,
Monsignor Elemosiniere Segreto,
Monsignor Cameriere Segreto Partecipante seniore di servizio.
Foriere Maggiore dei SS. PP. AA.,
Sopraintendente Generale alle Poste Pontificie,
Esente delle Guardie Nobili di settimana,
Monsignor Cameriere Segreto Soprannumerario,
Cameriere Segreto di Spada e Cappa Soprannumerario.

A sinistra di Sua Santità:

Monsignor Maestro di Camera,

Monsignor Sacrista,
Monsignor Cameriere Segreto Partecipante iuniore di servizio,
Cavallerizzo Maggiore,
Comandante della Guardia Svizzera Pontificia,
Monsignor Cameriere d'Onore in abito paonazzo,
Cameriere d'Onore di Spada e Cappa Soprannumerario.

Art. 6. – I Prelati di servizio per la cerimonia, cioè:
Sua Eccellenza Revma Monsignor Maggiordomo di Sua Santità,
Monsignor Maestro di Camera di Sua Santità,
Monsignor Elemosiniere Segreto di Sua Santità,
Monsignor Sacrista di Sua Santità,
Monsignor Segretario della S. Congregazione Ceremoniale: indossano l'Abito Prelatizio, Rocchetto e Mantelletta.

Art. 7. – I Monsignori: – Camerieri Segreti Partecipanti, Cameriere Segreto Soprannumerario e Cameriere d'Onore, – indossano la Sottana paonazza ed il Mantellone.

I Camerieri Segreti Partecipanti Civili cioè: il Foriere Maggiore dei SS. PP. AA., il Cavallerizzo Maggiore di Sua Santità, il Sopraintendente Generale alle Poste Pontificie, sono in costume di gala.

Parimenti in costume di gala sono:
Il Cameriere Segreto ed il Cameriere d'Onore di Spada e Cappa Soprannumerari.

Art. 8. – I distaccamenti dei Corpi Armati Pontifici rinforzati per il servizio, indossano l'uniforme prescritta per la cerimonia dai propri regolamenti.

Art. 9 – Appena Sua Santità si è assisa in Trono, Monsignor Cameriere Segreto Partecipante che ha preso posto a sinistra del Trono, dietro ordine di Monsignor Maestro di Camera, fatte le consuete genuflessioni si reca nella Sala degli Arazzi per avvisare Monsignor Segretario della S. Congregazione Ceremoniale che introduca il Signor Ambasciatore, e quindi torna al suo posto, facendo di nuovo le genuflessioni.

Monsignor Segretario della Ceremoniale, invitando il Signor Ambasciatore Lo introduce alla presenza di Sua Santità e Lo annunzia ad alta voce.

Art. 10. – Il Signor Ambasciatore, avendo a sinistra Monsignor Segretario della Ceremoniale e seguito dal Personale dell'Ambasciata col Cameriere Segreto Soprannumerario si dirige al Trono Papale. Insieme con Monsignor Segretario della Ceremoniale, tanto il Signor Ambasciatore, quanto il suo Seguito, fanno tre genuflessioni, la prima all'ingresso della Sala, la seconda nel centro e la terza ai gradini del Trono. Gli Ambasciatori acattolici invece delle tre genuflessioni possono fare tre profondi inchini.

